



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XL. De Congregatione Visitationis Carceratorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

lius Rector est Thesaurarius, sine cuius licentia in judiciali, vel conventionali commercio, ac distractione, vel translatione de persona ad personam nil fieri potest.

10. Idcirco si quæ cotroversiæ circa illa oriantur, eæ in forma judiciali per ipsum Thesaurarium, vel ejus Auditorem examinantur & deciduntur. In gravioribus tamen, & casibus valde dubiis, exquirere solet Thesaurarius sententiam Congregationis, in qua proinde cum Advocatis & Procuratoribus quæstiones disputantur in forma contentiosi Tribunalis.

CAPUT XL.

De Congregatione Visitationis Carceratorum.

1. *Finis hu jus congregatibnis.*
2. *Qui constituent Congregationem.*
3. *Habentur Visitationes Generales.*
4. *Et ordinariae.*
5. *Quomodo Visitationes instituantur.*
6. *Sumptus Carceratorum à quibus præstandi.*
7. *Custodibus carcerum quid agendum.*
8. *Quid hi accipere possint à carceratis.*

9. *Tres*

9. Tres fuere carceres Romæ, nunc duo conjuncti sunt.
10. Visitationi carceris Capitolii qui intersunt.
11. Qui carcerari non debeant.

I.

Cum nolint Summi Pontifices ex misericordia, qua tanguntur erga miseros, ut missi ob inopiam in carcere desolati Romæ pereant, erecta est Congregatio, quæ provideat necessitatibus pauperum captivorum, & qua ratione, nisi ob enormia delicta detineantur, cito liberari possint.

2. Hanc Congregationem constituunt Gubernator Urbis, Auditor Camera, Præses carcerum, qui ex Clericis Camerae eligitur sorte, Advocatus Fisci, & Procurator Generalis Fiscalis; Duo ex Locumtenentibus criminalibus Gubernatoris, Locumtenens criminalis Auditoris Camerae, Advocatus pauperum, & duo Procuratores pauperum, unus à Papa, alter à Congregatione charitatis deputatus; Visitator carcerum secretorum, Commissarius remigum, Locumtenens criminalis Vicarii, ac duo Prælati, qui sunt Præfecti duarum Congregationum Charitatis, & Pietatis carceratorum.

Ccc 3

3. Ab

3. Ab his instituuntur Visitationes carcerum vel Generales, vel ordinariæ. Generales duæ habentur die aliqua non impedita proximiorē solennitati Pascharis & Natalis Domini, & dicuntur Gratiolæ, in quibus multi egeni propter delicta leviora, quæ per vincula expiarunt, in carcere detenti gratia libertatis donantur.

4. Ordinariæ Visitationes fiunt aliæ singulis septimanis, aliæ semel in Mense; Hæ instituuntur, cum carcerati ob causas graviores, & adhuc in secreta custodia detenti visitantur, illæ habentur omni hebdomade die Jovis ante prandium, vel si tum fuerit impedimentum, post meridiem, quibus inspiciuntur carcerati propter debita, aut res criminales quidem, sed non adeo graves, & detinentur publicè cum aliis, *alla larga*, ut vulgò dicitur, pro eorum expeditione.

5. Porro die, quo instituitur Visitatio, sedent Visitatores in publico quodam loco carceris, & audiunt singulos reos ordine suo vocatos. Percepta delicti qualitate tum à reo, tum à Judice causæ, qui seriem facti pro Officio suo referre solet, decernunt pro natura delicti, qualitate rei, statu causæ, & tem-

Cre.

pore incarcerationis, vel libertatem, vel celeriore expeditionem, vel si omnino poena sit infligenda, mitigationem; Creditoribus etiam pro debitorum facultate consulitur; Hinc invigilant, & interesse solent ejusmodi visitationibus illi, ad quorum instantiam rei detinentur. *Paulus V. Const. 71. Universi §. 23.*

6. Si quis injustè quempiam detineri curasset, carceris & capturae sumptus praestare debet. *Paulus III. Const. 44. §. 2.* Pauperum carceratorum debitis solvendis impenduntur eleemosynae, quae per Urbem quaeruntur. *Pius V. Const. 100.* Et si qui carcerati non sint descripti in libris Custodum, ad nullas victus & carceris expensas tenentur. *Paulus V. l. c.*

7. Custodes enim carcerum omnes, quos in carceres recipiunt, describere debent in libro carceratorum addendo de cujus mandato, ad cujus instantiam, & ex qua causâ, an ex suspitione fugae capti sint. Nec quicquam vestimentorum carceratis auferre, vel sibi retinere possunt sub poena privationis officii, & aliis arbitrio Visitatorum. Bona, vel pecunias, quae penes ipsos reperiuntur facto inventario in eorundem carceratorum, & duorum testium praesentia,

conservare, & extradere ad mandatum Judicis debent. Tempore Visitationis tenentur Visitatoribus carceratos presentare cum expressione temporis, ac Judicis illorum, & executioni mandare, quidquid fuerit communi Visitatorum voto conclusum. Infirmos ad valetudinarium, & detentos in superioribus, & in mediis quolibet die ad audientiam missam deducere debent.

8. Nihil verò pro Camera, pro alimentis ultra quinque dies, pro transportatione carceratorum, aut pro extractione compedum ultra taxam accipere possunt; Nimirum Custos Turris Nonæ pro quolibet Clerico carcerato ultra Carlenos veteres sex, pro Laico ultra tres, Custos Turris de Sabellis ultra duos Carlenos tam pro Clerico, quam pro Laico, etiam pro liberatione non exigant. *Paulus III. Const. 44. Ad onus.* Nec possunt permittere in publicis mulierum carceribus, ut ad earum ferreos cancellos, seu fenestras aliquis carceratus accedat. Detentis in Secretis carceribus prohibere, vel impedire nequeunt, quominus alimenta aliunde deferantur, facta tamen diligenti inquisitione, ne quid aliud

aliud in ferculis transmittatur, *Paulus V.*
Const. 71. §. 23.

9. Fuerunt olim carceres in Urbe præcipui tres Curia Sabellorum, Turris Nonæ, & Capitolii. Carceris Curia Sabellorum curam & inspectionem habet Marechallus Urbis, qui est caput Illustrissimæ Familiæ Principum de Sabellis, cui hæc dignitas hæreditario jure annexa est; Nunc vero hi duo carceres Sabellorum & Turris Nonæ conjuncti sunt in amplissimo ædificio extracto jussu Innocentii X. in via Julia.

10. In Visitatione Carceris Capitolii constituunt unam classem plures ex Officialibus supra nominatis *num.* 2. qui sedent ex uno latere, nimirum Præses carcerum; Duo Prælati Charitatis & Pietatis; Advocatus pauperum; Advocatus Fisci; Procurator Fiscalis Generalis; Et duo Procuratores pauperum. Ex altero latere consistunt constituentes forum Capitolinum, seu representantes Populum Romanum, videlicet: Senator Urbis; Tres Conservatores; Duo Collaterales; Judex criminalis; Procurator Fiscalis Capitolii, & Commissarii carcerum & remigum, quibus

quibus omnibus præsidet Gubernator Urbis tanquam Vice-Camerarius.

II. Cæterum carcerari nemo potest sine iudiciis. *Paulus III. Constit. 44. Ad onus.* Neque in Urbe pro debito, quod septem aureos non excedat, nisi habeat annexam causam criminalem. *Pius V. Constit. 10.* At qui Sortilegiis pactum fecerit cum Diabolo, & à fide apostata-verit, aut animalibus, frugibus, aut fructibus damnum dederit, carcere perpetuo clauditur, si vero mors hominis secuta sit, traditur iudicio sæculari. *Gregorius XV. Const. 46.* Carcerati infra triduum examinandi sunt, & deinde vel dimittendi, vel ponendi ad largam. *Paulus III. l. c.*

CAPUT XLI.

De Congregatione super Confinibus Status Eccle- siastici.

I. Alienatio bonorum prohibita à diversis Pontificibus.

2. In-